

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0579

Venerdì 06.10.2000

## **LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL IV CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DELL'URUGUAY (15 OTTOBRE 2000)**

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI CONCLUSIVE DEL IV  
CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DELL'URUGUAY (15 OTTOBRE 2000)

In data 15 luglio, Giovanni Paolo II ha nominato l'Em.mo Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez, Arcivescovo di Santo Domingo, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive del IV Congresso Eucaristico Nazionale dell'Uruguay, in programma a Colonia del Sacramento domenica 15 ottobre prossimo.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Silvano Berlanda, Vicario Generale della Diocesi di Mercedes e Presidente della Commissione *Hogar Sacerdotal Jacinto Vera*;
- Rev.do Mons. Martín Pérez Eserémini, Vicario Generale dell'Arcidiocesi di Montevideo e Rettore del Seminario Interdiocesano *Cristo Rey*.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

Venerabili Fratri Nostro

**NICOLAO DE IESU S.R.E. CARDINALI LOPEZ RODRIGUEZ**

Archiepiscopo Sancti Dominici

Vitam plenam ovibus suis daturus venit Christus supremus Pastor qui locutus est: "Ego sum panis vitae. Qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet umquam" (Io 6,35). Hominibus, tot angustiis tantisque malis vexatis, Ecclesia continuo viam ostendit salutis atque panem potumque praebet salutarem, immortalitatis pharmacum, a Domino Iesu in Novissima Cena constitutum. Nostra quoque aetate "in Eucharistiae sacramento Salvator, in Mariae sinu abhinc viginti saecula incarnatus, divinae vitae sicut fontem se offerre perguit humanitati"

(*Tertio millennio adveniente*, 55).

Saluberrimo quidem de consilio novimus sacros Uruguaianae Praesules, simul cum universo populo, ad maius momentum Magno universae Ecclesiae lubilaeo tribuendum atque obsecundantes hortationi Nostrae ut annus MM penitus eucharisticus esset, proximo mense Octobri IV Congressum Eucharisticum Nationalem apparatus esse, inspiratos sententia: *Jesus Christus, vita plena pro Uruguaia*.

Quocirca, ut tantus eventus maxima celebraretur sollemnitate, Uruguaiana Episcoporum Conferentia, per suum Praesidem Venerabilem Fratrem Radulfum Horatium Scarrone Carrero, Episcopum Floridensem, a Nobis postulavit ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad personam Nostram tuendam Nostramque simul mentem ostendendam. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, quem peraptum ad hoc munus efficaciter explendum aestimamus, cum iam antea deditam noverimus sollertem actuositatem tuam pro animarum bono.

Quam ob rem, magna permoti fiducia et caritate, te **Missum Extraordinarium** constituimus ad exitum huius IV Congressus Eucharistici Nationis Uruguaianae die XV mensis Octobris in urbe Colonia del Sacramento celebrandum. Quo uberiores fidei, spei et caritatis fructus apud cunctum populum edere possit, Nos legationem tuam ardentibus precibus comitabimur; tu vero verba et desideria Nostra ibi transmittenda curabis et universos christifideles ad constantem Eucharistiae cultum sollicito animo cohortaberis.

Mens Nostra est ut omnes illius Nationis Pastores hortentur christifideles ut Eucharisticam celebrationem maxime Dominico die conferta acie partecipient, reconciliationis sacramento abluantur, sacro ibidem reficiantur convivio. Quos quidem hortamur ut sacerdotes suos plurimi existiment, qui a Domino electi sunt et constituti Eucharistiae ministri, eorum spiritale opus ferventibus orationibus et oblationibus sustineant novasque foveant ad hoc sublime ministerium vocationes.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, volumus nomine Nostro omnibus Congressus Eucharistici celebrationes participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die I mensis Septembris, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS II

[01999-07.02] [Testo originale: Latino]

---